



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

21 Fidei professionem doctorandi emittere tenentur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

vel private in quoquo modo profiteri, seu lectiones aliquas in facultatibus huiusmodi habere, vel exercere. † Neque doctores ipsi, vel alii superiores, ad alium gradum in eisdem facultatibus suscipiendum recipere, & admittere, neque doctores, magistri, & scholares ad electionem alicuius in rectorem, vel cancellarium universitatis, aut gymnasii procedere, nec ipsi scholares, vel alii gradus huiusmodi palam, vel privatim recipere valeant, nisi ante illorum receptionem, vel admissionem in Ordinarii loci, vel ejus in spiritualibus Vicarii manibus catholicam fidem, verbis iuxta formæ infra scriptæ tenorem conceptis, palam, & solemniter profiteantur, *ut in litteris Apostolicis Pij IV. incipient. in sacrosancta B. petri circa princ.* Et in
 22 eventum † contraventionis Episcopi interditi pœnam ab ingressu ecclesiæ, inferioribus verò excommunicationis latæ sententiæ, privationisque omnium, & singulorum, dignitatum, beneficiorum, officiorum, & feudorum eo ipso pœnas incurrant, *ut in eisdem litteris, S. ac omnibus in Bullar. Rom. cap. 112.* tenoris infra scripti.

23 Forma † autem dictæ professionis fidei hæc est. Ego N. firma fide credo, & profiteor omnia, & singula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo S. R. E. utitur; videlicet Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli, & terræ visibilibus omnium, & invisibilium, & in unum Dominum Iesum Christum filium Dei unigenitum, & ex parte natum ante omnia secula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum, non factum, consubstantialem patri, per quem omnia facta sunt, qui propter nos homines, & propter nostram salutem

descendit de cœlis, & incarnatus est de Spiritu sancto, ex Maria Virgine, & homo factus est, crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato passus, & sepultus est; & resurrexit tertia die secundum scripturas; & ascendit in cœlum: sedet ad dexteram patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos, & mortuos, cujus regni non erit finis, & in Spiritum sanctum Dominum, & vivificantem, qui ex patre filioque procedit; qui cum patre, & filio simul adoratur, & conglorificatur, qui locutus est per prophetas; Et unam sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum, & expecto resurrectionem mortuorum, & vitam venturi seculi. Amen. Apostolicas, & Ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes, & constitutiones firmissimè admitto, & amplector. Item sacram scripturam juxta eum sensum, quem tenuit, & tenet sancta mater Ecclesia, cujus est iudicatio de vero sensu & interpretatione sacrarum scripturarum, admitto, nec eam unquam, nisi juxta unanimem consensum patrum, accipiam, & interpretabor. Profiteor quoque septem esse verè, & propriè sacramenta novæ legis à Jesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis, necessaria, scilicet, baptismum, confirmationem, eucharistiam, pœnitentiam, extremam unctionem, ordinem, & matrimonium, illaque gratiam conferre, & ex his baptismum, confirmationem, & ordinem sine sacilegio reiterari non posse, receptos quoque, & approbatos Ecclesiæ catholice ritus in supradictorum omnium sacramentorum solemnè administratione reci-